

ADMIRANDA ORBIS CHRISTIANI

Q V Æ.

*Ad Christi fidem firmandam, Christianam pietatem fovendam,
obtinatamque perfidiam destruendam*

Ad Quærentium præmarisificationem E N

ΤΩ ΜΑΚΡΩ ΚΑΙ ΤΩ ΜΙΚΡΩ ΚΟΣΜΩ

Hoc est

IN MAGNO INQVE PARVO MVNDO

Aut præteritis extitere sæculis,

Aut adhuc vigent, vel illorum adhuc apparent Indicia :

E A

*Ex Historia sacra selectioribus Monumentis, Fastorum Ecclesiasticorum Tabulis,
Religiosarum Familiarum Chronicis, nec non ex singularium Euentuum,
Signorum, Miraculorumue quacumque Narratione, Et ex nonnullis
Congestis ab ALOYSIO NOVARINO.*

IO: BONIFACIVS BAGATTA VERONENSIS

Clericus Regularis Theatinus

Collegit, selegit, in unumque redacta, in lucem edidit.

TOMVS PRIMVS

In Quo

De Admirandis EN ΤΩ ΜΑΚΡΩ ΚΟΣΜΩ.



VENETIIS, Apud Io: Franciscum Valuasensem. M.DC.LXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

ET PRIVILEGIO.

Disubstis Augustiniani Digitized by Google

culum, dum aperit, defixus admiratione est. Enimvero supra quos paulo ante reliquerat panes, septemdecim alios reperit; multiplicata videlicet annona, ut Olympius adpromiserat.

87. *In vita Ven. Hieronymi Aemiliani Congreg. Somaſchæ Fundatoris lib. 4. cap. 2.* Cum in Arce Somaſchæ moraretur Vener. Hieronymus Aemilianus, una cum ferè quadraginta socijs, defecit panis, ita ut solum tres, quatuorue reperirentur, nec facilis erat ad conquirendos accessus, ob nimiam, sedam hyemis tempestatem, quæ tunc maximè obriguerat. Ad orationem igitur confugiens vir Dei, eos panes sibi afferri iussit, in frustula diuisit, signo Crucis signauit, mox ita omnibus distribuit, ut longè omnibus cælestem gratiam impertiens, non modò ad satietatem sufficerent, sed abundè etiam superfuerint: frustula huius panis diuinitus multiplicati post multos etiam annos asseruata fuere, ad depellendas infirmitates mirifica.

88. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Rosæ Peruvianæ cap. 25.* Defecerat in paterna domo S. Rosæ de S. Maria Peruvianæ panis, melque (condimentum illis in regionibus continuò vsu adhibitum) cum ecce S. Virgo ad cælestem Patrem confugiens, illicò arcam candidissimo panè repletam, vasque dulcissimo mele refertum mirabiliter reperit: Angelicoque ministerio è cælo deportatum esse, euentus demonstrauit, diu etenim, licet continuò vsu consumeretur, durauit.

89. *In Chron. S. Augustini, B. Thomas Ariminensis ord. S. Augustini,* cum semel panem pro Fratribus capitularibus Ariminensis monasterij emendicatum, pauperibus distribuisset; grauer à Superioribus obiurgatus est; at ille facta oratione, arcam candidissimo panè subito refertas inuenit, quo prodigio gratias Deo omnes egere.

90. *Ibidem. B. Christiana oppidi S. Crucis in valle ad flumen Arnun ord. S. Augustini,* non semel panem, vinumque ad sororum necessitates diuinitus multiplicauit.

91. *Bozcius de signis Ecclesie lib. 12. cap. 21.* Ioannes Ataidius Franciscanus, bis cum foret arca inanis, eam precibus quantum sufficeret toti suorum, conuentui alendo, repleuit,

Eadem Admiranda in Frumento, & Farina,
S. 2.

Addam consimiles admirandos effectus, qui in Frumento, & Farina, aut multiplicatis, aut diuinitus datis, euenere. Sunt autem.

1. *Ven. Beda in vita S. Columbanus cap. 16.* Cum moraretur penès Luxouium S. Columbanus, semelque ob frumenti exiguam copiam, horreum haud repletum esset, fratribusque necessarium panis alimentum deficeret, mirabiliter diuina virtute operante, nocte quadam frumento multiplicato, horrea repleta sunt.

2. *S. Greg. Dialogor. l. 1. c. 9. de S. Bonifacio Episc. Ferentino.* Mater illius, die quadam horreum ingressa, penè omne triticum, quod sibi in stipendium totius anni praparauit, inuenit à filio suo pauperibus erogatum. Cumq; semetipsam alapis, pugnisq; tun-

deret, quòd quasi anni subsidia perdidisset. Superuenit Bonifacius, puer Dei, eamque verbis, quibus valuit consolari cœpit. Quæ cum nihil consolationis admitteret, hanc rogauit, ut ab horreo exire debuisset, in quo ex omni eo tritico, parum quid inuentum est remansisse. Puer autem Dei se se illic protinus in orationem dedit. Qui post paululum, egressus ab horreo, matrem reduxit, quod ita tritico plenum inuentum est, sicut plenum antè non fuerat, cum mater illius totius anni sumptus se congregasse gaudebat. Quo viso miraculo, compuncta mater iam ipsa cœpit hortari ut daret, qui sic celeteriter posset quæ petisset accipere.

3. *Greg. Tur. lib. 1. de gloria Martyr. capit. 11.* Monasterium est valdè magnum in Hierusalem, non modicam habens congregationem in quodam loco. Deuotio populi sæpè plurima confert, verum etiam Imperatoris iussu ibi non minima largiuntur. Accidit autem quodam tempore, ut pro penuria egestatis, valdè eis victus necessaria deficerent. Congregatio itaque garrula Monachorum, cum una atque alia die refectiois alimoniam non caperet, vociferantur ad Abbatem, dicentes, largire cibos, aut permitte discedere vnumquemq; in locum, quo vitam propagare possit: alioqui nec te consulto abscedimus, ne pereamus fame. Hæc ijs dicentibus, ait Abbas, oremus fratres dilectissimi, & Dominus ministrabit nobis cibos: nec enim potest fieri ut deficiat triticum in eius monasterio, quæ frugem vitæ ex vtero pereunti intulit mundo. Quibus vigilantibus nocte tota, ac psallentibus, mane orto ita reperiunt cuncta horreorum habitacula repleta tritico, ut vix vel reserari ostium posset. Accepto autem cibo, gratias egerunt Deo.

4. *Halloix in vita S. Polycarpi c. 8.* Cum Daphnus Episcopus, apud quem hospitatus fuerat S. Polycarpus, suam victus penuriam, & exiguam sementem, amicè, & familiariter ei exposuisset, atq; illi doliola sua tantum non vacua ostendisset; tum, diuino impulsus spiritu Polycarpus, immissa in hæc manu, in Nomine IESV CRHISTI, inquit, vtere. Cuius dicti ea vis atque efficacia fuit, ut frumentum ex ea hora sic multiplicatum fuerit, non modò ut ad sufficientem domus alimoniam, sed ad sementem quoque faciendam, immò & ad stipem pauperibus conferendam, abundè supereret.

5. *Lippellous in vita S. Antonij Episc. 12. Febr.* Nono die postquam defunctus fuerat S. Antonius Magnus Episcopus, cum in eius gratia pauperibus alimenta præberentur, certusque frumenti numerus distribuere, cum iam mille pauperes (quibus omnia, & numero, & mensura assignata erant) vniuersa assumpsisse putabantur, ecce tres cophini remanserunt, quæ nulla largitate exhauriri poterant; immò quanto crescebat pauperum numerus, tanto etiam alimentorum copia.

6. *Io. Colg. in vita S. Febini 20. Ianuarij.* Cum ad pium Patrem quodam tempore hospites venissent, & penuria cogente quid eis apponeret, non haberet, Deum suppliciter orauit, ut qui pullis coruorum eum inuocantibus prouidet, necessitatibus illorum prouideret. Cuius preces misericors, & miserator Dominus mox exaudiuit, & abundantiam frumenti, butyri,

Cum quidam carceri inclusus, imminetque mortis periculo grauius turbatus, supplex inuocasset S. Nicetum Lugdunensem Episcopum, quod eius misericordia vincitorum compedes sapientius diruptos, catenasque contractas intellexisset; Paulo post dormienti apparuit ei Sanctus, à vinculis soluit, & illæsum abire iussit.

28. *Aloysius Torellus in Hist. Augustiniana anno 695.* Cum S. Vuibertus in Brabantia contra Idololatrias vehementer inueheretur, in carcerem sædissimum ab ipsodem trusus fuit; at nocte apprensus ei Angelus, è tenebroso ergastulo liberavit, utque liberè Christi fidem prædicaret, imperavit.

29. *In Annalibus Seruorum Cent. 1. lib. 6. cap. 5.* In Massa, oppido maritimo, cum quidam contra ius accusatus, causa martyrii, pleraque facinora confessus, à iudice reus mortis esset iudicatus; statim suam ipsius causam in manus B. Ioachini Senensis, ordinis Seruorum B. Mariæ ponit, atque ipsum humiliter deprecatur, ut suis precibus sibi innocenti subuenire dignetur: quo voto suscepto, confestim omnes custodes somnus inuadit, captiuus verò ab Angelico Patre, ruptis catenis, apertoque carceris ostio, libertati donatur.

30. *Ambrosius Righettus in mirac. Nominis Iesu.* Dum Aquileiæ Sanctus Terentius fidem prædicando innumeras ad Christum conuerteret animas, iussu impij Præfecti in carcerem iniectus est; sed cum Deum deprecatus esset, ut mittens Angelum suum, è custodia, sicut olim D. Petrum, liberaret: media nocte Ianuæ carceris à fundamentis euulsæ sunt, ipseque simul cum alijs aufugit.

31. Hoc idem accidit multis alijs S. S. martyribus, ut Mamenti, Erasmo, Lucia, Primo, Feliciano, Vito, Modelto, Ruffino, Valerio, Antonina, alijsque innumeris, quorum qui catalogum enumerare vellet, nunquam finiret.

32. *Ex. m. f. f.* Cum anno 1259. Mantuanus Baggata, ab Ezellino de Romano, Brixia in carcerem coniectus, ultimo supplicio esset damnatus, eo quod Philippum Archiepiscopum Rauennansem à tyranno comprehensum, eidemque Mantuano, ut exercitus Præfecto, custodiendum traditum, in libertatem redegerat: Noctu apparuit ei S. Liberata Virgo, dixitque: si votum emisseris visitandi meas reliquias, quæ Serij in Diœcesi Brixienfi conseruantur, crastino die à carcere liberaberis. Credidit ipse, votum fecit, iuxtaque promissa postera die mirabiliter à carcere, & à morte, intercessione eiusdem Diuæ, liberatus est.

33. *Odoricus Raynaldus in Ann. Eccl. An. 1511.* Cum Cæsareus exercitus supra Taruisinos fines in Venetam ditionem, Palissia duce, incurrisset, atque in Castrum nouum, cui Ven. Hieronymus Æmilianus nobilis Venetus, postea Congregationis Somaeschæ conditor, à Veneta Rep. Præfectus erat, belli moles esset versa, Castro vi expugnato, Æmilianus à Victore in squalidum carcerem inclusus est, in quo sæua multa perpeffus, diræque mortis metu perterritus, ad B. Virginis, quæ Taruisij colitur, singularis pietatis studio implorandam opem conuersus, post defleta antea cæta vitæ

scelera, diuinitus ab ea è carcere, diruptis vinculis, ereptus est.

Alia notabuntur in 2. Tom. lib. 2. cap. 3. S. 3. cum de corporibus Humanis ad loca disita subito diuinitus translatis.

Fores Mirabiliter diuinitus patefactæ.

S. 4

Non absimili prodigio, fores Ecclesiarum, domorum, & ciuitatum, sola urgente oratione Sanctis viris patuere. De quibus.

1. *Vincent. in Spec. Hist. lib. 25. cap. 133.* Quadraginta annis priusquam subuerteretur Hierosolyma à Tito, valuz templi, nullo tangente, cum magno strepitu spontè reserabantur.

2. *Christianus Adrichomius in descrip. Hierosolymæ num. 214.* Christo Domino solemniter in Ciuitatem Hierosolymæ ingredienti, porta aurea, quæ rarissimè aperiebatur, vltro, ut tradunt, aperta est.

3. *In Hist. Apostolorum.* Cum S. Petrus Apostolus ab Angelo de carcere liberatus fuisset, transeuntes primam, & secundam Custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ vltro aperta est eis.

4. *Ferrarius in catal. S. S. 14. Iann. de S. Gerardo Confes. Modoetiensi.* Solebat vir Dei summo mane templum ingredi, ibique suas preces ad multam horam fundere; cum verò aliquandò antequam à custodibus fores aperirentur, accessisset, illis sibi diuinitus apertis, ab eisdem custodibus in templo orans, repertus est.

5. *Pet. de Natal. lib. 2. cap. 28. de S. Basilio Episcopo, & confessore.* Valens Imperator, fautor Arianorum, Ecclesiam quandam catholicis ablatam, contulerat Arianis: ad quem vir Sanctus accessit, & ipsum de eius iniquitate magnanimitè redarguere cepit. Cuius post multa verba, Imperator concessit, ut amore catholicorum remoto, ipse secundum Iustitiam inter partes sententiam ferret. Episcopus verò conuocatis partibus, iussit, ut fores Ecclesiæ clauderentur, & vtriusque partis sigillo munirentur, & ad quorum factas orationes aperirentur, sua esset. Quod cum omnibus placuisset, orantibus Arianis per triduum ianuæ semper eisdem clausæ mansere. Tunc Basilius processione ordinata, venit ad Ecclesiam, & facta oratione, leui ictu, baculo suo fores tetigit, dicens: Tollite portas principes vestras, & continuo apertis ianuis reddita est Ecclesia Catholicis.

6. *BZou. an. 1278. num. 26. de B. Sita.* Aliquandò cum quædam pia loca visitasset, & ex itinere fessa, cuidam fonti, iam accumbente Sole, assedisset, Matrona quædam honestiore specie illi adfuit, & ecquid Lucam venire vellet, interrogauit: cumque Sita se libenter illuc ire retulisset, matronamque vsque ad Fortalitium Pontis tecti, & vsque ad portam ciuitatis comitata fuisset, eamque & pontis tecti clausam reperiissent, mirum visu, vtraque ingredientibus, sua sponte patuit; ceterum cum illa Matronam domum introducere voluisset,